



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

202. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

290 R E G I N O N I S L I B . II.  
tione , si se uxoratus continere non vult , Deo  
satisfaciat.

De eadem re. *Gregorius ad Augustinum.*

Apud Bedam  
lib. 1. hist.  
Angl. c. 27.  
§. 6.

CC. I. Necesse est ut etiam tertia vel quarta  
generatio fidelium licenter sibi jungi debeat.  
Nam à secunda quam prædiximus se omnino  
debet abstinere.

De eadem re. *Ex epistola Rabani ad Regi-  
baldum Chorepiscopum.*

Levit. 20.

Hebreo 10.

CC. II. De eo quod interrogasti , si pater  
& filius , vel si duo fratres , vel si avunculus &  
nepos , cum una muliere fornicati sint , quid  
inde faciendum sit , manifestum est quod gra-  
vi vindicta plectendum est quod grave facimus  
esse reperitur. Omnis enim mœchia interdic-  
tur ubi scriptum est : *Non mœchaberis.* Quan-  
to magis cum cognata vel cum conjugi seu  
concubina cognati. Hinc in Levitico scriptum  
est : *Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius ,  
morte moriantur & mœchus & adultera. Qui  
dormierit cum noverca sua , vel cum nuru sua ,  
& qui filiam & matrem duxerit , & qui ac-  
perit sororem suam , morte moriatur.* Si enim in  
lege turpitudinem incestus mortis sententia  
vindicare jussit , quomodo in evangelio , ubi  
summa justitia est , incestuosus pœnitentiam  
peccati evadet ? Unde Apostolus : *Irritam qui  
fecerit legem Moysi , sine ulla miseratione sub  
duobus vel tribus testibus moritur.* Quanto ma-  
gis putatis deteriora mereri supplicia qui filium  
Dei conculcaverit , & sanguinem testamenti pol-  
lutum duxerit , in quo sanctificatus est , & spiri-

tui gratia contumeliam fecerit? Igitur Theodorus judicavit eum qui incestum fecerit duodecim annos pœnitere debere. Alij quindecim, alij decem, alij septem. Sed tu priscorum patrum vestigia sequens, his solis pœnitentiae spatiū temperes qui devotè & cum lacrymis pœnitentiam egerint, ceteri definitum tempus servent.

De illo qui servum se fecit. *Ex Concilio Triburienſi cap. XI.*

CCIII. Perlatum est ad sanctam synodum quod quidam ingenuus ingenuam accepit uxorem, & post filiorum procreationem, occasione divortij, cuiusdam servum se fecerit, utrum necessariò mulierem tenere debeat; & si tenuerit, utrum illa quoque secundum secularem legem servituti subici debeat. Judicatum est uxorem minimè debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in servitatem redigi, dum ille non ex consensu conjugis se servum fecit, quem liberum maritum acceperat.

Burchard. lib.  
9. c. 75.

Item de incestis. *Ex eodem.*

CCIV. Item indicatum est quandam stuprassę quandam feminam, quam postea frater eius accepit uxorem. Statuerunt eum qui stupravit, & à se stupratam fratri celavit, quia germinavit peccatum, pœnitentia distictiori castigandum, & conjugium tale dissolvi optere, & mulieri quidem eis viventibus non forte potestatem nubendi, illis autem pro misericordia conjugium indulgere.

Concil. Tri-  
bur. c. 44.  
Burchard. lib.  
17. c. 15.

T ij